Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

appellati nominibus; unius tamen gentis proprietatem portendant. Sed quia longum est ut per ordinem replicentur, eos tamen de nomine denudare studemus, que ad narrationis nostre seriem veraciter pertinent, ut et locus et lingua relatam a nobis beati viri testimonia equaliter probat, et qualiter huic mundi fine desereret appareat. Per omnem quippe Fresiam pergens verbum domini paganico repulso ritu et erroneo gentilitatis more destructo instanter predicabat ecclesiasque confracto numine delubrorum ingenti studio fabricavit, et multa iam milia hominum virorum ac mulierum sed et parvulorum cum comilitone suo coepiscopo Eoban baptizavit, quem ad subveniendum sue senilis etatis debilitati Fresonis iniuncto sibi episcopatu pro in urbe que vocatur Trecht subrogavit, et presbiteris ac diaconibus; quorum hec sunt nomina: Wintrung et Walthere simul et Ethelhere sacerdotali presbiteratus officio preditis, Hamunt et Scirbalt et Bosa levitarum obsequio deputatis, Wacar et Gundachar, Illehere et Hatowolf monasteriali monachorum ordine sublevatis. Qui etiam in tempore vite eterne semen cum sancto Bonifacio late per passim divulgantes domino deo patrocinante diffamaverunt, ut quibus iuxta apostolice institucionis normam cor erat unum et anima una, una eademque et palma esset martyrii et remuneratio triumphi.

Postquam ergo fidei ut prediximus per Fresiam illuxerat splendor et felix sancti huius vite adpropinquaverat finis, iam quidem secus ripam fluminis quod dicitur Bordne, quod est in confinibus eorum qui rustica dicuntur lingua Oster- et Westerreche, suorum tantum stipatus clientum numero erexit tentoria. Sed quia festum confirmationis neophitorum diem et nuper baptizatorum ab episcopo manus impositionis et confirmationis in proximo prediserat, iam longe lateque disperso ad propriam unus quisque reversus est domum, ut secundum diffinitam sancti episcopi sententiam universi predestinatio eorum confirmationis die presentaretur. Cum autem predictus dies illuxisset et aurora lucis orto iam sole prorumperet, tunc etiam versa vice pro amicis inimici et novi denique lictores pro novicius fidei cultoribus advenerant, hostiumque ingens in castra vibrantibus armis hastata ac scutata irruerat multitudo. Tunc repente ex adverso pueri e castris prosilientes utrobique se armis impetunt et sanctos contra insensatum postmodum martires furentis populi exercitum defendere gestiunt. Sed vir dei statim audito tumultuantis turbe impetu ac-

cito ad se clericorum cetu sumptis sanctorum reliquiis quas secum indesinenter habere consueverat, e tentorio processit et confestim increpando pueris pugne interdixit certamen dicens: Cessate pueri a conflictu pugneque deponite bellum; quoniam scripture testimonio veraciter erudimur, ut ne malum pro malo, sed etiam bonum pro malis reddamus. Iam enim diu optatus dies adest et spontaneum resolutionis nostre imminet tempus. Confortamini ergo in domino et promissionis sue gratiam gratanter sufferte. Sperate in eum, et liberabit animas vestras. Sed et astantes tam presbiteros quam etiam diaconos inferiorisque ordinis viros dei subditos officio parata admonens voce ait: Viri fratres estote animo et ne terreamini ab his qui occidunt corpus, quoniam animam sine fine manentem necare non possunt; sed gaudete in domino et spei vestre anchoram in deum defigite, quia extemplo perpetue reddet vobis remunerationis mercedem et celestis aule sedem cum supernis angelorum civibus condonat. Nolite vos huius mundi vana delectatione subicere; nolite caducis gentilium adolationibus delectari, sed subitaneum hic constanter subite mortis articulum, ut regnare cum Christo possitis in evum. Cumque tali doctrine hortamento discipulos ad coronam martirii affabiliter incitaret, confestim furens super eos paganorum tumultus cum gladiis cunctaque militie armatura irruit et feliciter sanctorum cede corpora cruentavit. Statimque mortali iustorum multata carne tripudians gentilium turba victricem sue dampnationis preda arripuit, castraque depopulans manubias diripiendo impetivit. Sed et thecas in quibus multa inerant librorum volumina et reliquiarum capsas ab[...]stulit magna se dicatam auri argen[...]tique copia credens, ad naves quibus cottidianus erat clericorum ac puerorum victus et aliquantulum adhuc residuum eidem stipendii vinum obseratis ut erant vasculorum claustris asportavit, ac reperte coperto adamato liquoris haustu cepit gulosam ventris saciare ingluviem et vino madidum inebriare stomachum. Tandemque de acceptis prede spoliis inito consilio mirabili omnipotentis dei dispositione tractare: et